



Disputatio juridica inauguralis de judiciis

<https://hdl.handle.net/1874/340719>

44

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E

JUDICIIS,

Q U A M,
FAVENTE D E O T E R O P T . M A X .

Ex auctoritate Magnisci Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. ejusdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ

Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academici consensu , Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, solenniter, & More MAJORUM consequendis ,

Publicè Examini subjicit

I S A A C U S O O S T E R L A N D , Amstel-Batav.

Ad diem 6. Martii horis locoque solis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiac
Typographi , clc lxxxviii.

OMNIBUS
JURISPRUDENTIAE
FAUTORIBUS

E T

CULTORIBUS

Hanc Disputationem Inauguralem

Offert

ISAACUS OOSTERLAND.

Auctor.

Ex Officina Etiamque Academica Haedam, Typographi, apud Iosephum



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
JUDICIIS.
THESIS I.



On est, quod multum de vocis significacione disceptemus ; ne Thrasonibus nonnullis , arbitrantibus vocis disceptatione nihil absurdius ac eruditioni magis esse adversum , male audiamus. Quorum tamen doctrinam si benè introspicamus , non minimam ejus partem agere logomachiam experiemur. Per *judicium* non ultimam voluntatem , uti , l. 32.
§. 1. ff. de *inoff. test.* l. 16. C. *fam.* Ercisc. nec ipsam actionem ,
veluti l. 13. ff. eod. §. 1. & §. 4. *Inst. de Off. Jud.*; sed totius cau-
se disceptionem intelligimus , *rubr.* & *passim. r.t.h.*

I I.

Est ergo *judicium* , legitima causæ disceptatio , quæ ex parte actionis & rei fit , coram judice , litis finiendæ gratiâ. *Cujac.*
paravit. C. b. Arg. l. 1. & 2. ff. de re jud.

A 2

III. Ju-

4 DISPUTATIO JURIDICA

III.

Judicium imprimis in Civile & Criminale secatur. (a) In definiendis hisce speciebus non adeò inter se se quadrare videntur interpretes, quorum discepantiam, brevitati dum studeamus, omittimus. Communissime vero itum est hanc in sententiam: civile est, quod principaliter ad privatum commodum exercetur, sive talis causa ex delicto, sive ex contractu descendat. (b) Criminale vero est quoties ad publicam vindictam agitur, sive reo corporalis pena infligatur, sive fisco, non parti agenti, pena pecuniaria inferatur. In concursu horum prius criminale terminandum, (c) nisi ex causâ judex arbitretur inter esse, ut vel utrumque simul, vel civile ante criminale finiatur. (d)

IV.

Exordium vero atque prora omnium actionum instituendarum atque judicii inchoandi est in jus vocatio §. ult. Inst. de pœn.

item.

(a) §. 10. Inst. d. injuriis. l. 3. Cod. de ordin. judic. l. ult. ff. de furt. Bockelm. ad Pand. de judic. §. 8. Clarif. Voet. in Comp. Pand. de judic. §. 1. in med. Pac. Isagogitô b. t. Num. 6. in fine &c alii, qui plures alias passim divisiones proferunt: nam tot ferè judiciorum divisiones a DD. recensentur, quot sunt actionum, quas brevitatis ergò omisimus.

(b) Veluti si furti aut injuriæ actione civiliter agatur l. ult. ff. de privat. delict. l. ult. ff. de furt. Gail. lib. 1. obseru. 65. num. 1. Injuriarum actio duplex, cum vel civiliter agatur aut criminaliter, sed una intenta alia tollitur. Text. in l. unic. Cod. quand. civil. act. Crimin. præjud. l. 9. §. 5. ff. de publican. & vettigal. & l. 3. ff. de sepulch. violat. Mynsing. in d. §. in summa Inst. de injuriis. Non pauci hac in re dissentunt, quas enumerat Delrio ad l. transfigere, Cod. de transact. num. 8. & seq. Non adeò incepè neu absurdè querere quis possit, an agi civiliter ex eodem delicto posset, ex quod prius actum fuerit criminaliter, & è contrariò? & posse cum Com. concludimus. arg. d. l. unice Cod. quand. civil. act. crimin. præjud. l. ult. Cod. de ordin. judic. l. 130. ff. de reg. jur.

(c) l. ult. Cod. de ord. judic.

(d) l. un. Cod. quand. civil. act. crimin. præjud. l. 3. Cod. de ord. judic.

tem. litig. sine quâ nullum est quicquid gestum *l. 7. Cod. quom.*
& quand. jud. sent. prof. sic ut ne in favorem quidem non citati
 sententia sustineatur. Inchoati verò judicii primordium est litis
 contestatio, quæ est narratio actoris & contradic̄tio rei facta
 apud judicem. *l. un. Cod. de litis contest. l. 14. §. 1. Cod. b. l. 2. Cod.*
de jurej. prop. calum.

V.

Plurimi profectò refert, utrum lis contestata, nec ne *l. 86.*
l. 87. ff. de reg. jur. adversarium quippe constituit in malâ
 fide *l. 4. §. 2. ff. fin. regund. l. 1. §. 1. Cod. de petit. hæred. l. 22. Cod.*
de rei vind. l. 10. de acquir. vel retin. poss. plerasque exceptiones tollit
l. 4. Cod. de jurisdict. l. pen. & ult. Cod. de exception. l. 19. Cod. de
probat. actiones tempore aliâs aut morte interituras perpetuat.
l. 139. ff. de R. J. facit Procuratorem vel Curatorem dominum
 litis, *l. 11. 23. Cod. de procurator.* rem facit litigiosam, *arg. l. 2.*
Cod. de litig. Novell. 112. Cap. 1.

V. I.

Personæ judicium principaliter constituentes sunt *judex* & li-
 tigantes, Cæteræ verò personæ hisce duntaxat inservientes &
 accessoriæ sunt, quales *Assessores*, *Scribæ*, *Advocati*, *Procurato-*
res, &c. *Judex* est persona publicâ autoritate adjudicandum con-
 stituta. Talis autem est vel ordinarius, qui vi suæ jurisdictio-
 nis, quam à lege, consuetudine vel Principe habet, judicat. *l.*
5. cum. l. seq. ff. de jurisdict. & l. pen. b. tit. aut datus seu delegatus
 ab illis, qui nudam duntaxat notionem habet, & judicandi mune-
 re fungitur. *l. 5. ff. de re jud.* proinde sententiam suam non exe-
 quitur sed Magistratus qui eum dedit *l. à divò piò. 15. ff. de re*
jud.

A 3 VII. Hunc

6 DISPUTATIO JURIDICA

VII.

Hunc dare possunt omnes, quibus vel lege vel Scto. vel mo-
re majorum id concessum est. *l. 12. §. 1. ff. b. tit.* Olim quidem
non nisi Magistratus, Postea etiam Principes dare cœperunt *l.*
5. Cod. b. tit. l. fin. Cod. ubi Senator. Novell. 82. Vult. lib. Jurisp. C.
1. qui datus à Principe non subdelegandi duntaxat d. l. 5. Cod.
b. tit. quamvis alias ab ordinariō datus alium subdelegare non
possit. l. 1. in Princ. & l. fin. ff. de offic. ejus. & Bronkh. 1. cent. Af-
fert. 15. sed etiam sententiam exequendi potestatem Novell. 60.
Cap. 2. Imò majorem quam ordinarius in causâ sibi commissâ
dignitatem habet, apparet ex discursu l. fin. Cod. ubi Senat. vel Clas-
sif. l. 1. Cod. de Offic. vicar. Gail. 1. observ. 97. num. 9. Diſſ. Corras.
3. mis. Cap. 19. at ordinarium subdelegare potest. l. unic. Cod. qui
pro sua jurisdict.

VIII.

Dari profecto omnes possunt judices modò non prohibeantur.
Prohibentur naturâ nonnulli, Corporis scilicet, ut mu-
tus, surdus, vel animi quo laborantes defectu, ut perpetuò fu-
riosus & impubes *l. 12. §. 2. ff. b. tit.* Mens quippe si redeat re-
ete judicat *l. 34. l. 46. b. tit.* Nonnulli lege prohibentur, ut qui
ignominiae ergò senatu moti sunt *l. 12. §. 2. b. tit.* Nonnulli pro-
hibentur moribus ut mulieres, servi, *l. 12. §. 2. b.* nisi pro liberò
forsan habitus fuerit, quô in casu placuit utilitatis ergò gesta
ab eô valere, licet judex non fuerit, *l. 2. Cod. de sentent. & inter-*
loc. l. 3. ff. de offic. Praetor. Cujac. 18. obf. 33.

X.

Minorem annis octodecim judicem esse non posse qui-
bus non in confessò est? Sed quæstio hic ac dubium mo-
veri posset, an saltem post eam ætatem, ante tamen 20. an-
num

I N A U G U R A L I S. 7

num judex esse posset? Et quid obstat quam ob rem, modò Consensu partium l. 57. ff. de re judic. l. 41. ff. recept. arbitris. aut voluntate principis id fiat cum plurimis in affirmativam sententiam non descendamus? Quod idem de cæcō dicendum arbitramur, nisi in causis ocularem inspectionem desiderantibus, quibus inquam rectè judex non est, quod & ipsa ratio dictat, in aliis vero esse potest l. 6. ff. b. iii.

X.

Judex in propriâ causa esse potest nemo l. Julianus 17. ff. b. tit. l. un. Cod. ne quis in suâ causa. adeò quidem ut nec filius patrem, nec pater filium judicem habere possit l. qui jurisdictioni 10. ff. de jurisdict. d. l. un. Cod. ne quis in suâ causâ. nisi partes in eum consentiant. Imò generaliter, quibus in casibus testis ob suspicionem repellitur, in iisdem & quidem strictius vetatur idem esse judex, vid. clariss. Huber. in posit. jur. ad hoc tit. & ad tit. de testib. item & juris imperitos prorsus judices esse haud posse defendemus Novell. 82. licet quamplurimi D. D. diss. propter l. certi juris penul. c. h. tit.

X I.

Judex etiamsi competens sit tamen tanquam suspectus, adversario petente, per libellum, cui suspicionis causa inserta est, arg. l. 7. ff. de injur. vide l. 16. & anib. si vero Cod. b. t. sive apud acta ante tamen litem contestatam, nisi nova causa superveniat, recusari potest l. 47. ff. b. tit. l. 16. & l. ult. cod. b. tit. Neque intereſt majores an minores sint judices, qui suspecti arguuntur arg. l. 9. ff. de liberal caus. junct. l. 32. §. 7. ff. de recept. arbitr.

XII. In.

8 DISPUTATIO JURIDICA

X I I.

Judicis officium est, ut omnino quantum fieri potest, sententiam secundum id quod legibus, Constitutionibus & moribus est proditum, & secundum omnem æquitatem pr. Inst. de offic. jud. Novell. 8. in fin. sine distinctione inter maiores & minores judices dicat; quam licet exhibeat. auth. bodie. Cod. b. tit. rejicitur attamen atque refellitur ex d. Novell. 8. in fin. unde male atque perperam descripta est. Quam etiam æquitatem, nisi in casibus in jure expressis, l. 19. ff. de appellat. & relat. l. 12. §. 1. ff. qui & à quibus Manumiss. liberr. non si., juri stricto judex præferre debet l. 8. Cod. b. tit. l. 11. ff. de penis. l. 4. in fin. ff. de eō quod certō. loco l. 2. §. 5. in fin. ff. de aqua & aqua pluv. arcend. Quod si contra fecerit judex, non ob dolum duntaxat; sed suam etiam ob imperitiam, litem facit suam. l. 15. ff. b. tit. l. fin. ff. de extraordin. cognit. prin. Inst. de oblig. ex qua si delictō.

X I I I.

Hæc quoque subjungamus, Actore non probante judicem absolvere reum debere: l. 2. & l. 10. Cod. d. probat. l. 4. Cod. de edend. l. 9. Cod. de except. & DD. in l. 14. Cod. de probat. Item & judicem judicare debere secundum allegata ac probata & simul secundum conscientiam: l. 3. §. 2. in fin. & l. 13. ff. de testibus. l. 79. §. 1. ff. b. tit. quæ si cum allegatis pugnet deponendam potius esse judicis personam arg. l. 36. ff. de re judic. l. 12. §. 1. b. tit. personamque testis adsumere & ad superiorem rejicere causam judicandam. l. 1. & 3. Cod. de relat. Nov. 82. Cap. fin.

X I V.

Tempus quod attinet, causas Civiles intra triennium l. 13. §. 1. Cod. de judiciis. criminales verò intra biennium a lite contentata

stata terminare debet judex l.3. Cod. ut intra cert. temp. fitne illud Jure Canonico abrogatum, nec ne, adeat, qui scire desiderat Mar. P. 5. tit. d. instant. & p. 6. tit. de appell. Mynsing. 2. obf. 48.

X V.

Regulariter judex victum vitori in expensas & damna, hoc est detrimenta, quæ ratione litis vitor sustinuit, condemnare debet. l. 79. in princ. ff. b. tit. §. 1. in fin. Inst. de pen. tem. litig. l. 13. §. 6. Cod. de judic. Nisi vicitus ad judicio superatus justam litigandi causam habuerit l. 78. §. 2. vers. nec aliud ff. de legat. 2. Aut. post jurandum Cod. b. tit. quænam vcrò justæ sint causæ litigandi vide apud Sichar. ad §. fin autem l. 13. num. 8. & seq. Cod. b. tit. An verò criminalibus in causis illud obtineat non minor certè quæstio est? quod tamen negandum putamus l. non ignorat. 4. Cod. de fruct. & lit. expens. nisi ratione contumaciæ fierent expensæ l. qui crimen. 3. Cod. de his. qui accus. non poss. Mys. conf. 59. num. 56. Fach. 1. controvers. cap. 42.

X V I.

Personæ litigantes sunt actoř & reus, actoř dicitur qui actionem in judicio proponit & prior ad judicem provocat: reus autem is est qui provocatur l. 13. l. 62. ff. b. tit.

X V I I.

Hisce verò ita præmissis quinam agere & conveniri & ubi nobis videndum: regulariter agere atque conveniri possunt omnes, nisi qui vel lege vel edictō a limine judicij repelluntur, tot. tit. ff. & Cod. b. tit. vel accusare l. 8. cum l. seq. ff. de accus. & tot. tit. Cod. qui accus. non poss. ant alias legitimam standi personam in judicio non habent. tot. tit. Cod. qui stand. pers. non hab. quales

10 DISPUTATIO JURIDICA

les imprimis sunt illi omnes qui tutorum vel curatorum auctoritate indigent l. 1. & 2. Cod. d. tit.

XVIII.

In quaestione autem est, possintne pater & filiusfamilias sese in vicem convenire? & veritati nos magis consentaneum esse arbitramur si dicamus non posse. l. 4. l. 11. ff. h. tit. majoris profecto dubitationis est, anne filiusfamilias vel invitò patre adversus extraneum agere possit, & non posse, defendere conabimur. l. ult. in fin. prin. Cod. de bon. quæ lib. l. filiusfamil. 9. ff. de obl. & att. nisi certa ex causâ utiliter agat. l. 18. §. filiusfamil. 1. ff. h. tit.

XIX.

Conveniri reus non nisi apud suum competentem judicem & ibi sese defendere debet. l. 1. 5. & l. ultim. Cod. de jurif. omn. jud. unde vulgaris illa & generalis regula recepta est, quod actor sequi teneatur forum rei. l. 2. Cod. de jurisd. omn. jud. l. ult. Cod. ubi in rem att. excipiunt casum in l. diffamari Cod. de ingen. manum. quatuor verò potissimum modis forum sortitur reus; puta ratione delicti, contractus, domicilii, & rei sitæ. 1. Ratione autem delicti; in loco in quo crimen commissum vel saltem inchoatum est l. 1. & amb. Quæ in provinciâ. Cod. ubi de crim. quo & remittendus reus alibi detentus (quod olim erat necessieatis l. 28. §. 15. ff. de penis. l. 3. ff. de re milit. hodiè duntaxat urbanitatis) ob rationem in dictis legibus datam. Quod si verò in confiniis facinus perpetratum sit præventioni locus erit, vel concurret territorii utriusque judex. 2. Ratione contractus in loco, ubi contractus vel quasi contractus celebratus est l. 19. l. 20. 26. 27. si modo illic reperiatur reus, aut bona illic sita habeat, quô si se non sistat, possint possideri. l. 19. princ. & §. 1. h. tit. nisi contrahens inde statim sit discessurus, aut si alibi quam ubi negotium gestum est, soluturum se obligavit, tum non in loco contratu,

I N A U G U R A L I S. II

& tui, sed solutioni destinato recte convenitur. l. 19. §. 2. & ult.
l. 65. ff. b. tit. l. 3. ff. de reb. autor. jud. possid. l. 21. ff. de oblig. & act.
3. Ratione *domicilii* proprie sic dicti, qui locus est ubi quis la-
rem rerumque ac fortunarum sedem ita fixit, ut inde non sit
discessurus, si non aliud avocet. l. 7. Cod. de incol. l. 203. ff. V.S.
adèò ut studiosus in eô locô, ubi studiorum ergò duntaxat mo-
ratur non intelligitur *domicilium* habere, saltem non ad omnem
juris effectum arg. d. l. 7. Cod. de incol. sed antequam huic rei
valedicamus addenda controversa illa quæstio: possitne judex in-
quirere de delicto ejus, qui subditus est ratione originis seu do-
miciili, extra territorium tamen commissô & patratô. Et pos-
se defendemus, si delinquens in locô commissi delicti non sit
punitus l. congruit 13. ff. de offic. pres. l. 1. Cod. ubi de crim. agi
oport. Denique 4. ratione rei sitæ de cuius possessione aut pro-
prietate agitur l. ult. Cod. ubi in rem act. exerc. deb. l. un. Cod. ubi de
possess. l. un. Cod. ubi de hered.



XI

Z I N I F

P O.

Ex Officina Typografica Hahn, Academiz.
Typographi, ex Im. Luxxviii.

POSITIONES.

I.

Scriptura non est de essentia legis.

II.

Jus naturale est immutabile.

III.

Polygamia omni jure prohibita est.

IV.

Si quis corruptam & vitiatam ab aliō pro virginē du-
xerit, matrimonium rescindi non potest.

V.

Matrimonium metu contractum, ipso jure nullum
est.

VI.

Princeps est legibus solitus.

VII.

Vendor non tenetur praecisè tradere rem venditam.

VIII.

Dolus dans causam contractui bonæ fidei reddit con-
tractum ipso jure nullum.

IX.

Periculum rei venditæ pertinet ad emtorem.

F I N I S.